



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XXII. Non esse dicendum, imaginibus deberi cultum patriæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

## CAPVT XXII.

*Non esse dicendum, imaginibus deberi cultum latriæ.*

**S**ECUNDA propositio. *Quantum ad modum loquendi, præsertim in concione ad populum, non est dicendum imagines vllas adorari debent latriæ, sed e contrario, non debere sic adorari.* Probatu-  
 mo, Concilia non affirmant, sed simpliciter negant imagines adorari latriæ, igitur & nos eodē modo loqui debemus, cuiusmodi modus loquendi Conciliorum est modus loquendi Ecclesiarum, & proinde sequendus ab iis, qui nolunt errare. Porro Concilia non asserere, sed negare imagines adorandas esse cultu latriæ, probatur; nam in primis nullum est Concilium, quod asserat imaginibus deberi cultum latriæ; deinde Concilium Nicænum II. act. 7. clamat imagines adorandas, sed non latriæ. similiter nostro tempore Concilium Senonense, cap. 74. & Concilium Moguntinum, cap. 41. dicunt, à concionariis debere moneri populum, ne imagines adoret; quod sine dubio intelligitur de adoratione latriæ. Dicent forsitan Concilia ista loquuntur de latriæ, quæ exhibetur alicui propter se, non de ea quæ exhibetur alicui propter aliud. At id nihil facit ad rem; hic enim non de sensu, sed de verbis agimus. satis nobis est, in Conciliis simpliciter negari, imaginibus deberi latriam. nos enim modum loquendi Conciliorum sequi debemus.

**S**ECUNDO, nullæ sunt exactiores formulæ loquendi in materia fidei, quàm eæ, quibus vtuntur, qui hæresim abiurant. Atqui in VII. Synodo, act. 1. *Basilii Ancyranus*, & act. 3. *Constantinus Cypri* Episcopus abiurantes hæresim, dicunt, se recipere & colere imagines non tamen latriæ.

**T**ERTIO, Patres passim dicunt, imagines non esse adorandas, vt patet ex Augustino epist. 119. cap. 11. *Prohibetur, inquit, coli aliqua in figmentis hominū Dei similitudo, non quia non habet imaginem Deus, sed quia nulla imago eius coli debet, nisi illa, qua hoc est, quod ipse.* Item ex Gregorio, qui lib. 7. epist. 109. & lib. 9. epist. 9. monet Serenum Episcopum, vt populum instruat, ne imagines adoret, & sæpius repetit, non de-  
 bere

bere imagines adorari. At certè loquuntur de adoratione latræ; nam alioqui imagines venerabiles esse nō negant. Porro Ioannes Damascenus lib. 1. & 3. Apologetico sæpius repetit, imagines honorari debere, sed nullo modo latræ. Adrianus Papa I. in epist. ad Carolum Magnum, can. vlt. multis verbis docet & repetit, imagines esse honorandas cultu, quo honoramus sacras Scripturas, sed non colendas cultu quo colimus Deum. Idem habet Ioānes Aurelianensis in libro de cultu imaginum. Cur ergo quæso, non loquimur, vt Patres nostri loquuntur?

QUARTO, dicere populo, imaginem Christi, vel crucem adorandam esse latræ cultu, illo ipso, quo adoratur Deus, nō caret magno periculo; nam qui defendunt imagines adorari latræ, coguntur vt subtilissimis distinctionibus, quas vix ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus.

QUINTO, iste modus loquendi offendit aures Catholicorū, & præbet occasionem hæreticis liberius blasphemandi.

SEXTO, secundum rei veritatem (vt ostendam paulò post) non potest dici, adorari latræ imagines, nisi per accidens, vel improprie; per se autem, & proprie nullo modo. Et præterea illa adoratio per accidens, vel impropria rarissimè exerceri solet. Ordinaria enim adoratio est illa, quæ exhibetur imaginibus externis per se, & proprie, at quod simpliciter dicitur, non intelligitur de eo, quod per accidens, vel improprie, & aliquando conuenit rei, sed de eo, quod per se, & proprie, & vt in plurimum conuenit, ergo simpliciter loquendo non est affirmandum, sed negandum imagines adorari latræ.

## CAPVT XXIII.

*Imagines Christi improprie, vel per accidens posse honorari cultu latræ.*

**T**ERTIA propositio. Si de re ipsa agatur, admit-  
ti potest, imagines posse coli improprie, vel per  
accidens eodem genere cultus, quo exemplar ip-  
sum colitur.

QQQppp 2

Ac